

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4960

**Auteur(s) :** Mathieu Paindieu [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Robert le Maçon, de Pont-de-l'Arche [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1276, 7 mars

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Mathieu Paindieu vend à Robert le Maçon une mesure et une pièce de terre à Alisay.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° CCXCV, p. 300-301.

Texte établi d'après a

Noverint universi, tam presentes quam futuri, quod ego Matheus Paindieu vendidi et concessi et omnino derelinqui magistro Roberto Lathomo, Pontis Arche, quoddam masagium cum edificiis et quandam pechiam terre cultibilis ; quod masagium situm est in parrochia Sancti Germani d'Alisi, inter terram predicti Roberti, ex utraque parte, de vico ante usque ad terram predicti Roberti retro, et pechia terre sita est inter terram predicti Roberti, ex utraque parte, a semita ortorum usque ad terram Simonis du Creus et dotem Emmeline de Altaribus quando accedit, per undecim libras turonensem, de quibus michi pre manibus satisfecit : tenendum et possidendum dictum masagium cum edificiis et cum terra, dicto Roberto et heredibus suis, bene et pacifice. Licebit ecciam de cetero dicto Roberto et heredibus suis de predicto masagio cum edificiis et cum terra omnem suam penitus facere voluntatem, sicut de suo proprio hereditario, salvo tamen jure et redditu dominico. Et ego jamdictus Matheus et heredes mei dicto Roberto et heredibus suis dictum masagium cum edificiis et cum terra, ut dictum est superius, contra omnes gentes garantizare tenemur et futuris temporibus tenebimus, vel alibi, si necesse fuerit, in nostro proprio hereditario, ubicumque fuerit, valore ad valorem excambiare tenemur, et futuris temporibus tenebimus, per summam pecunie preagate. Ut hoc firmum et stabile futuris temporibus permaneat, ego jamdictus Matheus eidem Roberto hanc presentem cartam fieri feci et sigilli mei munimine confirmavi.

Actum fuit hoc anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup> sexto, prima sabbati, in martio.

Testibus hiis : Andrea Groset, serviens domine comitis ad Rouvillam tunc ; Johanne dicto Leblont, tunc de Rouville ; Roberto Monacho ; Roberto Le Motois ; Gaufrido Corteheuse, et pluribus aliis.